

possunt: alius est metus levis, qui opposito modo ad gravem declaratur. Gravitas autem, vel levitas metus desumitur ex causa inductiva mali. Requiritur enim ad gravem metum, quod causa sit inductiva mali gravis, et graviter; hoc est, non solum mali facientis notabile, et grave damnum, sed quod serio, et vere illud inferat, ita quod sit causa habens paratam executionem, et soleat alias facere, seu exequi quod minatur, non autem quæ solum minetur, seu dicat, et non faciat. Levis autem metus est, aut quia malum, quod timetur est parvi momenti, id est, damni non notabilis; aut quia non graviter inducitur, etsi alias grande malum, id est, sine parata executione. De quibus videri potest D. Thomas in IV, dist. XXIX, quæst. I, articulum II, in corpore. Alia distinctio est, quod metus alius est injuriosus, alius sine injuria. Injurious metus est ille, qui infertur a causa libera contra jus, seu justitiam (causa enim necessaria non facit injuriam) ut si quis cogitur a parente ex metu ingredi religionem, vel a latrone dare pecuniam. Metus non injuriosus est qui infertur a causa naturali, ut cum ex ægritudine timeo mortem, ex tempestate naufragium: vel infertur a causa libera procedente secundum jus, ut cum quis condemnatur juridice ad mortem.

XXXIII. Si autem quæras, quæ sunt mala, quæ debent reputari gravia, et pertinere ad metum cadentem in constantem virum, seu virtuosum, respondetur quod ut docet S. Thomas loco citato, non intelliguntur mala culpæ; ista enim non sunt gravia, sed voluntaria, et delectabilia; sed debent esse mala pœnæ, quæ notabile damnum inferant personæ propriæ, vel conjunctæ. Et nomine personæ conjunctæ videtur intelligi ex qua proxime redundat

malum in me, aut in honorem meum, sicut dicitur persona conjuncta uxor, filius, parentes, seu ascendentes, et fratres; quia omnes isti, vel participiant in eodem stipite, et sanguine, sicut frater, filius, parentes, vel unum efficiuntur per conjunctionem in sanguine, sicut uxor. Et uno verbo, videtur proprie dici persona conjuncta illa, quam naturali jure sustentare, aut ei providere teneor, quando alia non habet alimenta. Respectu ergo personæ propriæ, vel conjunctæ, censentur mala gravia, et notabilia, seu notabile damnum inferre, ea quæ personam propriam, vel honorem, vel fortunas notabiliter lædunt; ut in persona propria mors, verbera, seu cruciatus, et fames læsiva salutis, carcer, seu vincula, servitus, exilium. In fama, gravis infamia, qualis est infamia juris, ut jactura pudoris, dehonestatio per stuprum vel adulterium, aut denique quidquid turpe, et decorosum apud probos reputatur, ita ut in suo gradu, et inter suos non possit sine dedecore vivere. In bonis, ut proscriptio, aut confiscatio bonorum, aut talis jactura, seu diminutio, quod non potest sine illis decenter in suo gradu sustentari. Hæc igitur mala censentur ita gravia, quod etiam cordatis, et fortibus viris, seu virtuosis prudenter timentur, et ideo dicitur eorum metus cadere in virum constantem, seu virtuosum.

XXXIV. Cæterum non sufficit ad gravem metum, quod mala ipsa, quæ comminata sunt in se sint gravia, sed ulterius requiritur, quod graviter etiam comminentur. Tunc autem censentur graviter imminere, aut comminari quando causa de se est expedita, aut potens proxime ad inferendum illa, et est talis, quod solet alias illa inferre, et exequi de facto; hoc enim sufficit, ut prudenter timeatur executio tamquam gra-

ve malum, et graviter imminens; sicut in metu illato ex causa naturali, ægritudo, quæ juxta peritorum judicium est mortalis, aut longa; tempestas quæ judicio nautarum solet naufragium causare, nisi allevietur navis, et similia. In metu illato a causa libera, ille censebitur graviter irrogari, quando a tali persona incurritur, quod plerumque solet exequi minas suas et est potens ad exequendum, ut superiores respectu inferiorum censentur potentes; et præsumitur, quod sic exequetur minas, vel quia habetur experientia, quod id soleat facere, vel quia in suo stylo, et modo procedendi est præceptus, seu multæ resolutionis, aut licet sit admittioris et temperati ingenii, tamen vel ab adjunctis, et amicis solet impelli, et deduci, vel ex opinione, aut ratione status, aut alterius interesse facile præsumitur in executionem iturus. Ex his, aliisque similibus desumitur præsumptio, seu judicium prudens de metu gravi, et graviter incusso, qualis requiritur ut cadat in virum constantem.

XXXV. His suppositis, quod attinet ad contractus celebratos ex metu, dicimus jure naturali non esse irritos; jure autem positivo irriti sunt aliqui contractus, et actiones, quæ ex metu fiunt, quando metus est gravis, et injuriosus. Sumitur hæc resolutio ex capite unico De his quæ vi metusve causa, in sexto ubi dicitur: Quod absolutio facta a censuris ex metu, sit irrita, et nulla, licet ex natura rei poterat esse valida. Et ratio est, quia metus de se, et ex natura sua non facit involuntarium simpliciter, sed secundum quid: ergo non solvit valorem contractus ex defectu voluntarii. Item, quia promissio facta ex gravi metu incusso a causa naturali vel libera juste procedente, est validus, et similiter contractus, et tamen non

est minor metus, quam si injuriose incutiatur: ergo manifestum signum est non oriri invaliditatem hanc ex natura metus, sic enim semper oriatur, sed ex aliquo jure positivo. Antecedens constat, quando aliquis facit votum ingrediendi religionem in ægritudine, vel tempestate, si liberetur, tenetur illud implere; ergo validum est. Et qui ductus ad patibulum, ducit meretricem ut liberetur, matrimonium tenet; ergo ex natura metus non nascitur invaliditas. Denique, quia non requiritur major voluntas, aut libertas, ut contractus valeat, quam ut peccatum mortale fiat, voluntarium autem ex metu sufficit ad peccatum mortale (ut supra ostendimus, in eo qui ob metum negat fidem; ergo sufficit ad valorem contractus quantum ex ratione voluntarii.

XXXVI. At vero jureposito irritantur plura quæ fiunt ex metu, quando injuriose incutiatur ut plena libertas servetur, et injuria propulsetur. Quod ideo a jure statutum est, tum ad vitandas lites aliaque inconvenientia, quæ ex his, quæ metu cogente fiunt, sequi solent; tum, quia sæpissime contingit deesse in his consensum verum quantumvis verbis externis proferatur; tum denique in pœnam illius, qui injuriose metum incutit; meretur enim ut effectum careat, quod per injuriam extortum est.

XXXVII. Si autem quæras, quæ sint illa, quæ jure positivo redduntur invalida ratione metus, respondetur Sylvestrum verbo metus, numero octavo numerare octo, quæ requirunt plenum consensum, et a jure irritantur, si ex metu fiant. Primo, omnia quæ sunt meritoria, quæ si ex metu fiant carent merito. Sed hoc (dato quod ita esset: nam ex metu gehennæ potest quis non peccare, et illo timore mereri) non pertinet ad irritationem juris positivi,

de quo loquimur in præsentī, sed ad defectum meriti. Secundo, ex jure positivo est nullum matrimonium contractum ex metu, ut habetur in capite Veniens, de sponsalibus. Tertio, promissio, vel solutio dotis facta ex metu non tenet, quia si matrimonium, quod est principale, factum ex metu non valet, neque dotis promissio valebit, quod est accessorium. Quarto, jurisdictio data, vel propagata ex metu est nulla, lib. II, ff. de judiciis. Idem est de electione prælati facta ex metu cap. Ubi periculum, §. Cæterum de electione in sexto. Per electionem enim prælatus eligitur ad exercendam jurisdictionem. Quinto, auctoritas tutorum data ex metu est nulla, li. b. I, §. ultimo, ff. de auctoritate tutorum. Sexto, absolutio ab excommunicatione metu facta est nulla, capite unico De his, quæ vi metusve causa, in sexto. Septimo, testes testamentorum: non valet eorum testimonium metu extortum, lib. Qui testamento, ff. de testamentis. Octavo, votum factum per metum illatum per injuriam non tenet secundum aliquos summistas. Sed tamen ut bene advertit Sylvester citatus, hoc non invenitur authentice in jure, loquendo de omni voto etiam simpliciter. Et ratio est, quia qui cogitur vovere, potest non habere interiorem consensum, et voluntatem obligandi, quia ad hoc non extenditur metus, ut si alter nolit, extorqueat consensum internum; seu intentionem vovendi, et se obligandi, et alias non habet traditionem exteriorem sicut matrimonium; quo consensu sublato non obligat votum, nec juramentum, sed metus ille solum versatur circa exteriorem significationem, nec amplius exigere potest, qui metum incutit. Si autem ipse interius se voluit obligare, cum ibi exterior metus non opereatur, si ipse nolit, votum vel juramentum tenebit quantum est ex na-

tura sua, et alias non invenitur expressum, quod omne votum metu factum sit irritum; ergo reducitur ad naturam suam, et sic obligat.

XXXVIII. Excipitur tamen votum solemne, quia hoc non solum habet id quod est interioris consensu, sed etiam quod exterioris mancipationis, et traditionis, seu solemnitatis, quia fit per modum contractus cum Ecclesia, et spiritualis matrimonii, aut servitutis: unde voluit jus ut pariter fieret libere, et sine metu, sicut matrimonium, quod non solum consummatur interiori consensu, sed exteriori traditione, ut sumitur ex capite Puellæ xx, q. I, et cap. Cum virum, de regularibus. Postea vero declaratum est per Concilium Tridentinum sess. xxv, de regularibus, cap. xix, quod ille qui præterdit se per metum religiosum esse, non audiatur, nisi intra quinquennium a die professionis reclamaverit. Denique juramentum factum ex metu, licet sine consensu interiori non obliget, tamen propter reverentiam divini nominis exterius in testimonium adducti, et propter scandalum, quod generatur in aliis, quibus juravit, servandum est.

XXXIX. Denique si inquiras, an stante metu gravi obligent nos præcepta ad sui observantiam, respondeatur quod præcepta aut sunt juris naturalis, aut positivi: et similiter, aut sunt affirmativa, aut negativa: et denique vel potest inferri metus in contemptum præceptorum, vel sine contemptu, simpliciter imponendo metum, ut illud fiat. Dico ergo, quod præcepta naturalia negativa nullo metu excusantur; ea enim quæ cadunt sub his præceptis sunt ita intrinsece mala, quod nulla circumstantia honestari possunt, sicut est odium, aut contemptus Dei, desperatio, infidelitas, adulterium, et similia. Præcepta autem affirmativa sive naturalia, sive positiva jure di-

vino, vel humano posita, si pure affirmativa sint non obligant interveniente metu gravi, exceptis duobus casibus, ad quos cæteri reducuntur. Primus est, si præceptum ponatur determinate cum periculo vitæ, quia sic expedit bono communi, ut quando præcipitur militibus defendere civitatem, vel aggredi hostes, etiam cum periculo vitæ: vel quando aliquis obligatur ipso officio ponere vitam pro salute spirituali animarum, ut episcopus pro ovibus in casu necessitatis. Secundus est, si metus inferatur ut fiat aliquid in contemptum præcepti. Et similiter si præceptum non sit pure affirmativum, sed aliquid adjunctum habeat de negativo, ut si alicui inferatur metus ut sacrificet in una tantum specie eucharistiæ, quod est præceptum affirmativum, quia violatur per omissionem; tamen habet adjunctum præceptum negativum non faciendi mutilum, et imperfectum sacrificium, nec irreverenter tractandi, sicque habet adjunctum contemptum præcepti. Unde et ipse contemptus ideo cum periculo vitæ obligat ne fiat, quia de hoc datur præceptum negativum de non contemnendo legem.

XL. Ratio autem hujus conclusionis est quoad præcepta affirmativa, quia quando occurrit metus gravis, verbi gratia mortis si fiat contra aliquid præceptum affirmativum, occurrit simul aliud præceptum majus, et superius de servanda vita, magis enim obligat prospicere vitæ propriæ, et conservare illam, quam alteri bono inferiori prospicere, aut bono proximi, quia charitas ordinata incipit a se ipso: ergo cessat nunc obligatio præcepti affirmativi alterius boni inferioris, ut observetur præceptum de conservanda vita. Et idem proportionabiliter est dicendum de metu gravi circa infamiam, vel alia bona

corporis, aut animæ, quæ tenetur homo defendere in ordine ad vitam, vel ad statum vitæ.

XLI. Dices: Charitate tenetur homo postponere vitam corporalem pro vita spirituali proximi; ergo si occurrat necessitas succurrendi spirituali vitæ proximi, verbi gratia baptizandi infantem, aut confitendi infirmum, et aliquis minetur mortem si id faciat, tenebitur homo cum periculo vitæ illud præceptum servare; et tamen neque fit in contemptum præcepti, neque obligat determinate cum periculo vitæ; ergo nostrum fundamentum ruit. Item, quia bona externa debemus postponere vitæ corporali proximi; ergo si quis minetur amissionem bonorum si servo præceptum succurrendi vitæ proximi, adhuc teneor cum illa jactura servare præceptum.

XLII. Respondetur quod in casibus, in quibus aliquis tenetur cum periculo vitæ vel bonorum aliquid facere, tunc non solum est præceptum faciendi aliquid, sed etiam est præceptum faciendi cum illo periculo, et sic manet exceptus a nobis talis casus in prima exceptione. Quare si inferatur metus mortis, ut non impleatur tale præceptum, tenetur implere, quia de se illud præceptum obligat cum tali periculo, aut cum tali jactura bonorum. Unde notanter in probatione nostræ conclusionis posuimus, quod tenetur propriæ vitæ prospicere magis quam bono inferiori, ut excluderemus casum in quo currit præceptum de bono superiori, etiam cum jactura proprii boni.

XLIII. Et ex eodem fundamento probantur exceptiones positæ, quia quando ipsum præceptum affirmativum præcipit hoc vel illud fieri cum periculo vitæ, vel jactura bonorum, si juste id præcipit, ideo est quia bonum commune, aut bonum superius tunc periclitatur et postu-

lat ex se, quod tali periculo aliquis se exponat. Constat autem quod propria conservatio postponenda est bono communi, ut defensionem fidei, vel patriæ, sicut etiam postponenda est vitæ spirituali proximi, quia superius bonum est; ergo pro talibus casibus etiam obligat cum gravi metu, quia metus mortis non potest magis excusare, quam ipsa mors, quam tamen tenetur quis pati quando periclitatur bonum commune, vel bonum superius. Similiter si fiat in contemptum legis, clarum est fieri contra bonum commune: quia non solum transgreditur legem, quod pertinet ad contemptum generalem, sed etiam ipsam legem in se parvipendit, renuens illi subijci, quia lex est, et non solum illam implere, quia onerosa, vel difficilis: hoc enim propriè distinguit inter contemptum legis, et transgressionem simplicem, quod utraque repellit legem, sed transgressio propter onus legis, contemptus propter auctoritatem, et superioritatem, quia renuit superioritatem illius. Unde contemptus legis non est sine contemptu legislatoris, atque adeo nec sine dehonoratione boni communis, quod in ipsa superioritate consistit. Constat autem, quod bono communi semper postponendum est privatum. Et ideo si in contemptum præcepti affirmativi, præsertim divini, et ecclesiastici, cogatur fieri, obligat etiam cum metu mortis. De præcepto civili posset aliquis hæerere, quia non quilibet contemptus legis, et dehonoratione illius ita dissolvit bonum commune sicut contemptus Ecclesiæ, et Dei, qui quodammodo tangit ipsam fidem. Non sic in quolibet contemptu alicujus pragmaticæ, vel legis

municipalis, aut principalis, sed bene in illa ex cuius contemptu imminet ruina regni, aut aliqua seditio, et gravis turbatio, quia hæc est sicut defensio patriæ ab hoste, quæ obligat cum dispendio vitæ.

XLIV. Verum est, quod quando ex metu peccatur, diminuitur culpa pro ea parte, qua diminuitur voluntarium. Quod si sit levis metus non totaliter excusat in re graviter præcepta. Et sic intelligitur decisio textus in capite Sacris, de his quæ vi metusve causa, quod propter nullum metum est communicandum cum excommunicato; intelligitur enim non de nullo metu absolute, sed qui fit in contemptum legis, aut si metus sit levis. Vel forte magis ad litteram intelligitur de communicatione cum excommunicato in ipso crimine propter quod est lata excommunicatio, cum expresse textus dicat: Quod quia non prorsus excludit culpam, cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari. Loquitur ergo textus in casu, quo quis communicat excommunicato cum peccato mortali. Quod utique tunc maxime fit cum communicat cum eo in crimine.

XLV. Restabat agere de voluntario, et involuntario ex parte ignorantia, vel concupiscentia, sed quia in his, quæ fiunt ex ignorantia, vel concupiscentia non tam attenditur ipsa ratio voluntarii, vel involuntarii, quam aggravatio, vel diminutio culpæ, quod pertinet ad tractatum de peccatis, ideo hoc reservamus tractandum infra quæstione LXXVI et LXXVII, ubi a D. Thoma plenius tractatur.

QUÆSTIO VII.

DE CIRCUMSTANTIIS HUMANORUM ACTUUM.

SUMMA TEXTUS.

Considerata substantia voluntarii, et involuntarii, agit D. Thomas de accidentibus illius, quæ dicuntur circumstantiæ, quia quasi vestiunt, et circumstant actum.

In articulo primo ostendit circumstantias esse accidentia humanorum actuum, quia sunt conditiones quædam extra substantiam actus, et tamen aliquo modo illum attingunt, seu respiciunt. Quod autem rem attingit, et substantiam non ingreditur, accidens est.

In secundo articulo ostendit circumstantiarum considerationem ad theologum pertinere: tum, quia actus humanus proportionatur fini, qui est beatitudo, cui etiam ratione circumstantiarum actus commensuratur; beatitudo autem spectat ad theologum; tum, quia ex circumstantiis multum pendet aggravatio malitiæ, aut excusatio, et bonitatis mensura in actibus; tum, quia ratio meriti, et demeriti etiam ex circumstantiis dependet in multis.

In articulo tertio ostendit convenienter enumerari a philosopho in tertio ethicorum circumstantias, quæ sunt septem, et in illo versu continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quid autem per singulas circumstantias intelligatur, statim explicamus.

In articulo quarto ostendit, quod ex istis septem, principalissimæ circumstantiæ sunt quid, et propter quid, id est, effectus resultans, et finis movens. Finis enim est principale motivum voluntatis, unde opus voluntarium dicitur; et effectus resultans est maxime conjunctus operationi. Quanto autem aliquod accidens magis appropinquat substantiæ, principalius est.

humanorum in quantum humani, seu voluntarii sunt.

II. Secunda: Agere de circumstantiis pertinet principaliter ad theologum, et secundum plures rationes; licet etiam pertineat ad philosophum moralem, ad politicum, et ad rhetoricum, sed secundum particulares rationes.

NOTANDA CIRCA

ISTAM QUÆSTIONEM.

I. Quatuor propositionibus continentur doctrina D. Thomæ in hac quæstione. Prima: Circumstantiæ recte dicuntur accidentia actuum